



2b. 15



46.
54

RECTOR
ACADEMIÆ FRANCO-
FURTANÆ
M. JOANNES
SCHOSSERUS

Rhetorices Professor P. & Collegii
Philosophici Senior,

Sollemne funus

Quod
Prid iduum Februarii
AMPLISSIMO & PRUDENTISS,
VIRO

DN. SIXTO Sandreutter

Consuli reipub. Opidanæ laudatissimo,
Marito & Parenti suo delideratissimo
Vidua & Liberi superstites honorificè ducere
constituerunt

Omnibus reipub. literariæ
civibus

Lugens mœrensque indicit.

Anno regnantis gratia

CLo. Io. C. XXIV.

LITERIS

FRIDERICI HARTMANNI
BIBLIOPOLÆ.





Etus & verum il-

lud Menandri verbum est:

Χρησὸς ἀνὴρ κοινὸν ἀγαθὸν: vir bonus & frugi publicum est bonum. Non enim cum voluptariorum patre, voluptatisque adsertore Epicuro, cujus pleraque disputationes in ganeâ aut in popinâ natæ videntur, non in scholâ, om-

nia suâ causâ facit, aut ex aliorum simplicitate commodum suum comparat: sed suam sæpè utilitatem negligens aliorum tanto studio procurat, ut Jolaus apud Euripidem rectè dixerit: justum virum aliis esse natum, non sibi. Et verò fabula sit virtus seu verba, ut Bruti apud Dionem utar voce, si non foras spectet, & projecta tota ad alienas utilitates sese porrigat atque explicet: perinde ac inanis est doctrina, quæ cum aliis non communicatur: quod Seneca eleganter expressit, cum, *in hoc*, inquit, *gaudeo aliquid discere, ut doceam: nec me ulla res delectat, licet eximia sit & salutaris, quam mihi uni sciturus sim: & si cum hac exceptione detur sapiëntia, ut illam inclusam teneam, nec enunciem, rejiciam.* Ea quin etiam boni indoles est, ut sit κοινωτικὸν ἑαυτῷ, sui communicativum: atque ut arbores pomis onustæ ramos suos demittunt, & ad carpendum fructus accedentes invitant: eundem in modum viri verâ virtute gravidi ultrò in commune boni sunt, aliosque ad se fruendum advocant: Hæc autem omnis eò pertinet oratio, ut intelligatur: quantum, dum in vivis erat DN. SIXTUS Sandtreutter/ Consul. Hujus urbis spectatissimus & prudentissimus, bonum habuerit; & quantum in sperato ejus his ex terris excessu malum res acceperit publica. A parvulo namque ita se ille comparaverat: ut vir bonus frugive esset, & quod de Catone Lucanus scripsit

non sibi, sed toti natum se crederet orbi dicam? an urbi. Vbi enim primum ad annos, quos vocant, discretionis venerat: & in scholâ patriâ fundamenta pietatis & virtutum jecerat: belle quæ & mundulè scribere, & expedite computare à librariis & calculatoribus didicerat: ad negotiationem naturæ q. quodam impulsu, suoque

&c

& parentum consilio sese conferebat. Audierat n. eam Principib. & populis amicam, & caput q. esse, unde nervi in rempub. manent: intellexerat eam multarum rerum peritiam, & de multis bene merendi occasionem suppeditare, & abundantiam nostram cum indigentia felici cambio perficere: eoque in vitæ genere suos quoque Filium Dei habere electos vel Frumentiorum apud Carthagenenses didicerat exemplo: qui cum rem mercaturam faciendam quaerent, sub Hunericho Ariano Gothorum Rege & caelestem doctrinam ingenuè fassi, & per varios cruciatus martyrium constanter passi fuerunt. Hæc & id genus alia secum expendens ad mercaturam animum adjecit: eamque primò rectè didicit: postea legitimè factitavit. Didicit autem Noribergæ, in quâ anno post Christum natum ultra decimum quintum seculum septimo & sexagesimo 4. id. Junii, patre DN. JOANNE Sandtreuter / viro integerrimo, Negotiatore, & majoris curiæ Senatore honoratissimo; matre MARGARETHA Stöberlin / matronâ honestissimâ natus, & ad omnem virtutem educatus fuerat; ab optimo liberorum pædagogo, Patre: cui in istâ ætatulâ pietatem ut filius, fidem & industriam ut minister sedulo ac sine dolo probabat. jure merito. nam qui fallere, ut ait Comicus

insuêrit patrem

aut audebit, tantò magis audebit cæteros.

A Patre exactis tirocinii annis Augustam Vindelicorum missus est ad DN. CHRISTOPH. Hoffnern / primæ notæ in augustâ illâ repub. Negotiatorem: apud quem non justa tantum & clemens ipsi fuit, ut sic dixerim, servitus: sed tantum etiam fidei habitum, ut secretissima quæq; illi committeret: & negotiorum suorum causâ eum in Italiam, aliasq; longè distitas regiones ablegaret: unde re bene gestâ & ex voto plerumque confectâ reversus in laude & gratiâ apud herum suam erat. Annos natus duos & viginti svasu, imò jussu Parentis, quo nemo melius pro liberis consilium capere solet, duobus illis in negotiatione Duumviris, DN. WOLPHGANGO Rhölen NORIBERGENSE, & DN. JACOBO Grieben LIPSENSI CONSULT, qui tum temporis hac in urbe negotiationem ampliss. exercebant, sese adjunxit: iisque fidem, operam & industriam suam aliquot annos ita probavit: ut non dubitarent defuncto DN. GEORGIO HARTMANNO viro optimo, & Senatore urbis honoratissimo, qui rationes negotiaque illorum hoc in loco procurabat, illum surrogare, omnes

A 2

que



que merces, res & fortunas suas, quas quidem hinc habebant, fidei ejus commendare. Tum verò, quam didicerat, factitare artem, & agendi cogitandi que sollertiam majoribus q. theatris proponere cepit: & cum negotia dominorum, quos dixi suorū summo studio curare: tum ad famam hominum profluere, multorum que oculos in se convertere: & tam eorum, quibus cum ipso emendi vendendique erat commercium, quam aliorum benivolentiam sibi adungere. Quò factum, ut ipsi complures & tunc & insequenti tempore merces & negotia sua commiserint: & quorum in manu ea res erat, castissimam honestissimamque virginem CATHARINAM, antefati DN. HARTMANNI Antecessoris sui filiā anno 1594. nuptum collocarint: & Sereniss. Elector anno 1601 locum in ampliss. ordine, legitimā Senatus electione præeunte, confirmavit. Neque enim Thebanorum hinc utimur lege, quā à repub. gerendū arcebantur mercatores, nisi toto decennio à foro venalitio abstinuissent: nec Romanorum more, ubi negotiari Senatoribus non modò turpe fuit, verum etiam veteri lege non licuit: sed cum plerique honestiorum hodie id vitæ genus amplectentur, ab honoribus publicis non repellimus: quos novimus etiam cum dignitate, nec sine utilitate, ab illis geri. SIXTUS certè *o maximus* & in conjugio & in Senatu talem se præbuit, qualem virum bonum & publico bono natū se præbere decuit, oportuit. Cum uxore placidè & jucundè atque ex veteri formulā vixit: liberosque in unde triginta annorum conjugio novem suscepit: quinque melioris sexus JOANNEM-GEORGIUM, bonarum literarum & legum studiosum; SIXTUM, SIGISMUNDUM, qui Hafniæ in Sialandiā; CHRISTIANUM, qui Posnaniæ Negotiatoribus operam suam addixere; & minimum natu SAMUELEM, quem materna pietas ad omnem virtutem educat: quatuor sequioris: de quibus MARTHA, primā ætate rapta; MARGARETHA DN. JOACHIMO Schaumi/ Negotiatori hujus urbis primario; ANNA, DN. GOTHOFREDO Schultzen/ nostri antehac, nunc Senatorii ordinis, utraque prudenti & eleganti viro nupsit: quarta CATHARINA innupta quidem illa, sed jam nubilis, & corporis animiq; dotib. adfatim est cōspicua. Erga collegas autem suos, & in munerum publicorum curatione ita sese gessit: ut dexteritatem, vigilantiam, celeritatem ac diligentiam ejus exoscularentur: & octo annis post, quam in Senatum allectus erat, Christi nimirū 1609 consentientib. suffragiis CONSULEM ipsum designarent: quam dignitatem initio quidem non

non verniliter fide que, aut in figurâ, quâ quidam rejiciunt, quæ magis ad se volunt retrahere; sed magnitudine negotiorum, quibus tantum non obruebatur, & novi oneris accessione territus serio recusabat: cum verò eam à se deprecari non posset, quò minus cupidè suscepit, hoc majore fide, prudentiâ, addo etiam favore civium gessit. Nam nec difficiles ad ipsum aditus erant: nec tribunal ejus, ut L. Cassij olim, scopulus reorum poterat appellari: sed ita sese comparabat, ut omnibus

& visu facilis, dictuque adfabilis esset.

Itaque cives in curiam aut accitos, aut ultrò ingressos nec duris & austeris verbis more multorum, qui se imperium in belluas habere putant, excipiebat: nec diris devovebat: nec cavillis impetebat: nec conviciis dimittebat: sed magistrum se esse civium, non dominum aut tyrannum cogitabat: & severitatem comitate, gravitatem humanitate ita temperabat: ut nec facilitas auctoritatem, nec severitas amorem deminutum iret. Meminerat nimirum imperiosissimum esse blandum imperium: alteque in animum demiserat, & memoriæ infixerat Senatoris illud in patriâ suâ apophthegma: *rempub. rectè regi bonis verbis, & asperis pœnis:* à quo non abludit Abbatis Clarævallis sententia, cum, *bubuleus*, inquit, *habere debet duo: vocis suavitatem, quæ laborem mulceat operantium: & aculei punctiorem, quæ torporem excutiat pigritantium.* Et certè

veluti pueris absinthia tetra medentes,

cum dare conantur, prius oras pocula circum

contingunt mellis dulci flavoque liquore,

ut puerorum ætas improvida ludificetur

labrorum tenuis: intereà perpotet amarum

absinthii calicem, deceptaque non capiatur:

ita prudentis & circumspècti magistratus est, τὰ σκληρὰ μαλθακῶς λέγειν & mollitiæ quasi verborum ac dulcedine asperitatem pœnarum, & onerum publicorum mitigare: nec durum se præbere miseræ & afflicte civium fortunæ; summoque studio cavere ne illorum è pectoribus suspiria, lacrymas ex oculis exprimat. Quocirca, semper

ante oculos ipsi obversabitur pium illud & memorabile Hedvigis Polonorum Reginae ad Jagellonem maritum, qui facultates adscriptiorum ecclesiæ Gnesnensis pigneraverat, & ab Archiepiscopo atque reginâ repræhensus pignora capta reddi jusserrat, dictum: *Pignora quidem*

A 3

reddemus.

reddemus agricolis: ceterum lacrymas quis reddet? Sed ut è diverticulo in viam redeam, in C. Caninium Rebilum, qui cum M. Votacilio uno tantum die Consul Romæ fuerat, ita jocatur Tullius, *ut mirificè eum vigilantem fuisse dicat: quippe qui suo toto consulatu somnum non viderit.* Ego verò citra jocum & verè confirmo, non quidem nullum somnum (hic enim refectio, teste etiam Senecà, necessarius) parciss. tamen cœpisse, nec unquam totas ei noctes impendisse, multò minus alto Sole semisomnem jacuisse **SIXTUM CONSULEM**: cum toto Consulatus sui tempore: tum anno potiss. 1613, qui urbi huic & omnibus prourbiis gravis fuit pestilentia. Non enim exigui, mihi credite, laboris, nec mediocris vigilantia res fuit, cæteris Collegis pœnè omnibus metu contagii discedentibus & salutis suæ consulentibus, ipsum solum aut cum paucis, fortibus & sanatis juxtà jus dicere: bene valentibus & luis pestiferæ puris de sufficiente annonâ, infectis & super peste suspectis, & ob id vel in propriâ domo inclusis, vel in valedinarium translatis de congruis alimentis & medicamentis prospicere, civium somnos suâ vigiliâ, civium vacationem occupatione suâ defendere, muniaque cætera omnia, quæ illi incumbunt, cui resp. est commissa, pestilitate grassante obire. Quam sollicitus idem erat & angebatur, cum anno ab hinc nono, **CHRISTI 1615.** sub hoc ferè tempus bona pontis sublicii, qui Viadro impositus, pars à crustis glacierum & impetu a quarum exundantium abscindebatur? quam industrius & satageus, cum intra paucorum dierum spacium præter omnium opinionem reficiebatur? Adeo publico studebat ille: cogitabatque se, quod Cicero alicubi scribit, *animo oportere esse Consulem, consilio, fide, gravitate, vigilantia, cura, toto denique munere Consulatus, omni officio.* Jam ad vitam ejus privatam quod attinet, comis, & in notes æquè ac ignotos officiosus; in ministros verbi divini munificus; in suos liberalis; in omnes largus; & verbo ut dicam uno, in publicum bonus erat. Certatim ad illum confluebant modò Generosi, Nobiles & ingenui homines non nostræ solum, sed & aliarum provinciarum ac regnorum. & se per literas vel officiosas aliis commendari, vel cambii, quas vocant, in peregrinis locis adjuvari petebant: modò Negotiatores
exteri

exteri, & sua illi negotia committebant: modò egeni & tenues, & suppetias sibi ut ferret orabant. Nec facile quidquam studio illorum voluntas ejus abnuebat: nec inanib. promissis illos lactabat aut ludebat, ut Antigonus olim, qui, quod semper diceret se daturum, nunquam daret, cognomen obtinuit Δάστω; aut Chares, cujus pollicitationes vanæ locum fecere proverbio: sed alios pecuniâ, alios consilio, alios operâ, omnes, quo poterat modo & studio, juvabat: alterum dixisses CIMONEM, cui munificentia & liberalitas in pauperes Chrestî cognomen conciliavit: aut TITUM, qui neminem à se tristem abire patiebatur. In isto virtutis & honestatis studio cum aliquot jam annos magna spacia fecisset: Kalendas Januariarum anni hujus auspices minimè auspicatas expertus est. Morbus enim, sive asthma cum Græcis voces, sive cum Senecâ suspirium, calore præternaturali comitatum, cujus fomitem jam diu circumtulera, manifestius sese tum exseruit: indiesque magis ac magis ingravescens, nec vel Medicorum industriæ & medicamentis, vel publicis privatisque civium precibus, quas ad DEUM pro vitâ & salute Consulî tam mitis & comis fundebant, cedere volens, tandem ipsi die ab hinc sexto, qui erat hujus mensis septimus, cum vixisset his in terris AN. LVI. M. VIII. & dies aliquot, mortem adtulit. Hanc ille non cupidè quidem optavit: nec tamen muliebriter expavit: & cum primum decumberet, sublatis in cælum manibus cum Martino Episcopo Turonensi, *Domine, inquit, si adhuc populo in hac urbe, & liberis in domo meis sum necessarius, non recuso laborem: sin aliter, fiat voluntas tua: & ad adstantes cum Ambrosio: non sic vixi, ut me pudeat inter vos videre: sed nec mori timeo: quia bonum dominum habemus.* Statuam merebatur piè defunctus Consul, quam positam olim Consulibus fuisse ex Sidonio liquet: sed, si animum ejus rectè novi, cum Catone illam adspernatur: contentus optimæ mentis conscientia, & honorificâ nominis sui, quam post se reliquit, memoriâ: quam hoc quoque programme ab oblivione vindicatam cupimus: à vobis autem, *Cives academiae præstantissimi,* amanter & amicè petimus: ut sacram apud vos tantarum virtutum memo-

memo-

memoriam esse sinatis : & demortuo Dn. Consuli exsequias , quas relicta
vidua & liberi superstites , nostri ordinis aut consortes, aut fautores, ho-
noricè adparatas cupiunt, frequentes eatis. Quod reliquum est, *orent*
cives oppidani boni magistratus auctorem & datorem Deum, ut in de-
nati Consulis locum alium, qui ipsum comitate & benigntate æquet, aut
etiam superet, sufficiat : *oremus & nos academici* : in quos etsi Consul
oppidanus imperium non habet, vicinus tamen noster est : *quem pro-*
culdubio felicitas major est, teste Augustino, bonū habere concordem, quam
malum subjugare bellantem. Oremus igitur omnes, ut Deus suo tem-
pore monstret, Senatus eligat, Sereniss. Elector confirmet Consulem
veræ religioni amicam, academiæ æquum, reipub. salutarem, omni-
bus bene cupientem. B. V.

M. C. N.

Ja 666



ULB Halle 3
002 177 021



A white rectangular library label with a barcode and identification numbers.

5b-700

Von 7

MC







46.
54

FOR
FRANCO-
NÆ
NNES

ERUS
or P. & Collegii

Senior,
e funus

Februarii
PRUDENTISS,
O

Sandreutter

lanæ laudatissimo,
no desideratissimo
tes honorificè ducere
erunt

ub.literariæ

bus
isque indicit.

tis gratie
XXIV.

RIS
ARTMANNI
POLÆ.

B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

Inches
Centimetres
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20